Colleg. Carol
1779

DE ANTIQUIS QUIBUSDAM
MUSEI FRIDERICIANI SIMULACRIS
PRAEVIA DISSERTATIONE
AD CELEBRANDUM
QUINTUM MARTII DIEM
AUGUSTO

FRIDERICI II.

HASSIAE LANDGRAVII REGNANTIS
ETC. ETC. ETC.
NOMINI SACRUM
AUDIENDASQUE IN AUDITORIO MAJORI
COLLEGII ILLUSTRIS CAROLINI
HORA X ORATIONES
QVA PAR EST REVERENTIA INVITAT

PRORECTOR
DIETERICUS TIEDEMANN
GRAECAE LINGUAE ET ANTIQUITATUM PROFESSOR
ANTIQUITATUM QUAE CASSELLIS EST SOCIETATIS
SODALIS ORDINARIUS

CASSELLIS
APVD HENRICVM SCHMIEDT, TYPOGRAPHVM PALATINVM
ANNO MDCCLXXIX.

Bibliotheca
Marburgensis.

Ex quo Sereniſſimus Haſſiae Landgrauius FRIDERICUS II, iter in Italiam ſpectandorum, quae temporis nobis injuria reliqua fecit, antiquitatis monumentorum gratia ſuſceptum abſoluit: tantum in miranda haec ingenii induſtriaeque humanae documenta concepit amorem, vt Antiquitatum Muſei ampliſſimi conſtituendi conſilium caperet. Relicti quidem EI a Majoribus haud ſpernendi antiquitatis theſauri erant; qui augeri tamen praeclariſſimis ſimul et rariſſimis rebus poſſent. Statuarum praecipue deſiderari intelligens copiam; ex Italia aduehendas eas Summus Princeps; aliisque praeterea tot rebus adornandum Muſeum curauit, vt ſuo de nomine FRIDERICIANUM dici jure meritoque poſſet. Dominum itaque de Walmoden cum ſtatuas praecipue ſummo collegiſſe ſtudio cognouiſſet: emendos ſibi hos eſſe theſauros duxit. Qui diu exſpectati, magna tandem ex parte ſuperiori autumno huc allati ſunt. Ex iis potiora quaedam fuſius deſcribere conſtitui, tum ne Antiquitatum ſtudioſos lateant, tum etiam vt quae ab Italis fere ſolent in deſcribendis ſtatuis negligi adjiciam. Si qui in aeſtimanda pulchritudine Judicium deſiderent: feram id facile, modo ne acerbius reprehendant. Delineandi enim artis cum non ſim peritus: multa me fugiſſe facile largior. Sunt tamen praeter haec ſubtilia plurima quoque, quae ſub ſenſum et rudiorum, modo non Thebano ſub coelo natorum, cadunt; quaeque adeo dijudicare et is poteſt, qui rerum haud paucarum delineationes inter ſe contulit. De iis igitur quid ſentirem propoſui, non ſine exceptione tamen; cuilibet meliora docenti, libenter conceſſurus.

Primum, Minerua artium ſcientiarumque praeſes, jure ſibi locum vindicat. Delineatio hujus ſimulacri quaerenti mihi oblata non eſt; exſtare tamen nuſquam, cum non omnes hujus generis libros licuerit percurrere, affirmare non auſim. Ex rariſſimis, maximeque memoratu dignis eſſe, quae mox dicturus ſum demonſtrabunt. Simulacrum ex marmore candido, aliquantum pellucido factum eſt. An ſit Parium rerum peritis definiendum relinquo. Magnitudo ſupra humanam ſtaturam, ſtatus erectus majeſtatisque pleniſſimus. In toto corpore tranquillitas ſumma, nerui venaeque vix ac ne vix quidem; muſculorum motus apparet nullus. Quae omnia per ſingula a capite ad calcem eundo faciemus manifeſtiora.

Caput caſſide ornatur, qualis Graecorum eſſe ſolet; a communi tamen forma in plurimis recedente. Sphinges, Tritones, quaeque alia Mineruae ſolent inſculpi galeis criſtaque omnis abſunt. Similem fere ejus formam apud Montefalconium (*) eſt videre. Differt tamen eo, quod ex vtroque latere, qua teguntur tempora, capita arietum, flexis, vt ſunt Hammonis, cornibus ſculpta ſunt. Cujus quidem rei praeter hoc, exemplum mihi occurrit hucuſque nullum. Quo pertineant haec capita, explicari verbis auctorum, niſi me omnia fallunt, non poteſt. Diuinando tamen ad Jouem Hammonem, adeoque ad Libycam Aegyptiacamque Deae originem ea reſpicere, aſſequi licet. Ex Aegypto quippe Mineruam eſſe ductam, argumentis haud leuibus, ab inſtituto tamen noſtro alienis, demonſtratur. Differt et eo, quod ſuperius duae ex utroque latere factae ſunt aperturae, ad demendam galeam accomodatae. Quae cum oculorum, et, quod inter eas eſt ſpatii, naſi praebeant ſimilitudinem: factum eſt, vt humanam faciem in imaginibus haud accurate delineatis referant. Factum eſt inde et hoc, vt

(*) Montfaucon Antiq. Expliq. Tom. I. planche 81. n. 4.

vt artifices ornandi cupidi, os humanum, Socratis, vel Sileni capitibus ſimile, ejus loco ſculpſerint. Exempla, ubiuis obuia, proferre, ſuperſedemus. Faciei forma eſt ea, quam Graecam dicere conſueuimus, non tamen per omnia reliquis Mineruae imaginibus ſimilis. Pinguiores quippe hae plerumque; noſtra maciei propior. Quod quo conſilio fecerit ſculptor, haud difficile dictu. Ingenio ſcilicet, et ſapientia valentes, meditationique intenti, carnibus non ſolent abundare; ſapientiae itaque haec forma magis propria. Oculis tamen altera gratior; quorum vtrum ſit praeferendum, rerum peritis definiendum relinquo. Oculi eandem hanc ob cauſam profundius depreſſi; nec ita tamen, vt diſpliceant; ſed vt dignitatem potius augeant. Frons laeua, triſte nihil nec operoſum referens; qualis non hominem quidem ſapientem, ſed Deam ſapientiae decet. Contracta quippe ſupercilia, aut frons rugis adſperſa, meditationem, ſed difficilem nimisque ſollicitam, qualis diuinam dehoneſtaret ſapientiam, indicat.

Praecipua tamen in ore ipſo majeſtas reſidet; quod grandiuſculum quidem, non tamen indecorum, labiisque paulo inflatioribus factum eſt, vtrumque miram faciei majeſtatem conciliat, cum puſillum os atque rotundum ad venuſtatem pertineant. Habitus ipſe oris animum contemplandis grauiſſimis rebus intentum; parua omnia deſpicientem, propriaeque magnitudinis conſcium oſtendit. Caput ipſum in ſiniſtram partem leniter flectitur, caetera rectum, quo ipſo animus ad maxima quaeque conuerſus, vereque magnus ob oculos ponitur.

Quamquam commiſſurae duae caput fuiſſe a trunco auulſum, ſatis prodant: antiquum tamen quin ſit dubitari non poteſt. Juncturarum alteram ſub ipſo mento, alteram qua collum humeris jungitur, videre eſt. Collum ipſum neſcio quid viuidi coloris habet; an a recentiori ſit manu adjectum liquido definire non auſim.

Brachium laeuum, altius ſublatum, haſtaeque fragmentum digitis amplectens; haſtae ſuiſſe innixum dubitare non ſinit. Auulſum et hoc humero rurſus agglutinatum eſt. Color tamen marmoris antiquitatem demonſtrat. Dextrum contra demiſſum plane, pendet, digitis fere extenſis; qui vana deſpicientium, ſuaque magnitudine gaudentium geſtus eſt. Fuit et hoc ab humero, injuria temporis, ſeu barbarie ſeculi auulſum. Adeo vero ſubtiliter inſertum eſt humero, vt niſi curioſius inſpiciatur, junctura non pateat. Quod ipſum fraudis alicujus ſuſpicionem, colore marmoris auctam, praebet. Nullus equidem quin a recentiore artifice adjectum ſit, dubito. Quaenam igitur antiqua ejus forma, quodque ejus fuerit attributum, ignoramus. Penetraſſe tamen ſculptorem in mentem antiqui artificis fatendum eſt, cum geſtus, oris habitui, totiusque operis conformationi egregie reſpondeat. Veſtita eſt ſtatua, vt ſolent Mineruae; tunica longiore, ad pedes vſque, plicis naturae accommodatiſſimis deſcendente; aliaque breuiori, circa medium corporis deſinente. Maxime ſimilis, quod ad veſtimentum ei eſt Muſei Florentini Mineruae deformatio (*) Cingulum, non latum, ſed rotundum, aſtringit vtramque veſtem, quale in aliis quoque Deae imaginibus, praecipue in Muſei Florentini modo laudato loco, conſpicitur.

Pectus magna ex parte tegitur Aegide, veſtibus modo rarius obuio injecta. Fibula dextro eam humero nectit, inde laeuam verſus partem ita deſcendit, vt laeua mamma aperta, dextra vero prorſus tecta ſit. Circumducitur inde ad tegendam fere dimidiam dorſi partem, cinguloque adſtringitur cum reliquis veſtimentis. Squamis conſtat, et Meduſae caput, abſque ſerpentibus tamen, elegantiſſimeque ſculptum, in medio habet. Prominentibus

(*) Muſeum Florentin. T. III. tab. 6.

minentibus Aegidis angulis octo, totidem ſerpentum capita appoſita ſunt. Simile quid in Muſeo Florentino, loco ſupra commemorato, et Montefalconio (*) occurrit.

Dextrum crus, ad quietem leuiter inflexum, per tunicam eleganter conſpicitur. Pedes digitis tantum tenus exſtant, caetera veſtibus operti.

Jam quidnam huic ſimulacro cognominis competat, quaeri poteſt. Solent quidem antiquitatum doctores de cognominibus Deorum non multum haeſitare; ignorantiae ſcilicet culpam fugientes. Quo factum eſt vt mira et nominum et rerum ab iis ſit confuſio facta, plurimaque vana, ſaepiſſime leui aliqua conjectura cognomenta Deorum ſimulacris ſint indita. Sollicite quamuis in hanc rem inquiſiuerim: nihil tamen certi me repeririſſe apud Auctores veteres, candide fateor. De nomine adeo, ne in eundem impingem lapidem, taceo.

Quidnam conſilii fuerit ſculptori, dictu videtur facilius; idque ad perſpiciendam ejus pulchritudinem vtilius. Tranquillitatem et quietem figura tota ſpirat; non otioſam tamen, aut eneruem. Contemplationi potius rerum maximarum, intenta Dea, fluxa omnia et terrena deſpicere, ſuaeque et ſapientiae et potentiae intuitu videtur gaudere. Quo magis eam adſpicis, eo magis ſacro quodam horrore penetrari te ſentis. Sapientiam itaque et prudentiam corpore induere voluiſſe ſculptor cenſendus eſt; imitatus eum mentis humanae habitum, quo vilibus omnibus poſthabitis, diuina meditatur; diuinamque ſe reputans, ſua magnitudine fruitur. Quicquid tamen noſtrae meditationi anxii et ſolliciti adhaeret, optimo conſilio artifex ſejunxit, quo magis Deam hanc eſſe appareret.

Haud

(*) Montfaucon Ant. Expl. Suppl. Tom. I. planche 39. n. 2. 3.

Haud equidem a Romano ſculptore hoc eſſe ſimulacrum, profectum crediderim; graecam omnia manum ſpirant; eamque aurei illius artium ſeculi, aut certe aureum ſeculum imitantis.

Quod quo pateat clarius, alterum ei ejusdem Deae ſimulacrum ad latus ponemus. Id quoque ex marmore candido, non pellucido; ſtaturae exiguae, atque infra humanam. Caput caſſide priori ſimili ornatum; praeterquam quod capita arietum abſunt. Habitus faciei elegans, graecamque formam referens. Vultus ſeuerus quidem, ſed majeſtatis omnis expers, et inſipidior. Veram ejus magnitudinem attingere non potuiſſe ſculptor videtur. Caput quamuis olim fuerit auulſum, antiquum tamen procul dubio eſt.

Laeua ſemireducta parmam geſtat, ſimilis delineationi a Montefalconio exhibitae. (*) Parmae caput Meduſae negligentius inſculptum eſt. Etſi brachium infra cubitum ſit agglutinatum: antiquum tamen videtur. Dextrum, ſub humero olim abruptum, haſtae fragmentum habet.

Veſtibus ſuperiori per omnia ſimilis eſt, niſi quod cingulo deficiente veſtes fluunt. Idem et in Montefalconio videre eſt. (**)

Aegis humeris alligata, rectaque inde deſcendens, ita vt totum pectus tegat, in medio habet Meduſae caput, negligentius elaboratum. In duas ea partes ſcinditur, ita vt ſua vtrique mammae ſit tegumento. Montefalconii modo laudata figura ab ea haud multum abludit. Sunt et in ea ſerpentium capita, ſed parum ſcite expreſſa.

Stare

(*) Montfaucon Ant. Expliqu. T. I. planche 79. n. 5.
(**) Montfaucon Ant. Expl. Suppl. T. I. planche 38. n. 2.

Stare Dea ad propugnandum parata, adeoque πολιαδος referre ſpeciem videtur. Veram quidem πολιαδος ſpeciem hodie ignoramus; cum Veteres, quod quidem ſciam, nullibi ſatis eam deſcripſerint. Sed cum tueri vrbes ejus fuerit officium; hunc ei ſtatum maxime eſſe accommodatum apparet.

Quae hucuſque attuli, omnia, ni fallor, graeci eam non eſſe operis, oſtendunt. Ab Romano aliquo, Graecos imitante, nec artis tamen ſatis perito, negligenterque omnia tractante, quin ſculpta ſit, haud equidem dubito.

Triſtiori Mineruae ſuccedat hilarior Venus; cujus praeſtantiſſimum nunc aggrediar ſignum verbis deformare. Qua in re Winkelmanni mihi colores optarem, vt verbis pulcherrimis rem pulcerrimam exprimerem. Spero tamen fore, vt aequi rerum judices, mihi, quem Italicum nunquam coelum calefecit, ignoſcant, ſi frigidiuſcule de re minime frigida locutus fuero.

Signum hocce marmoris candidi, nec hominis, nec Mediceae Veneris magnitudinem aequat. Stat Dea, dorſo paullum flexo, ad occultanda quae quemuis videre nefas eſt; non nuda tamen prorſus; ſed inferioribus corporis partibus fere tectis. Quidnam in eo artifici fuerit conſilii, infra, omnibus diſceptatis, declarabimus. Nunc partes perluſtrare ſingulas lubet.

Caput, vt ſolet Veneris, nudum, capillis de more collectis: Nec vulgari tamen, ſed rariori quadam ratione, qualis in Muſeo Florentino, (*) et apud Montefalconium, (**) in quibusdam imaginibus conſpicitur. In vertice ſcilicet capilli altius eleuati, nodo in duas rurſus partes ſcinduntur. In occipite vero in glo-

 bum

(*) Tom. III. tab. 34.
(**) Montfaucon Antiq. Expl. Suppl. Tom. I. planche 46. n. 2, 4.

bum colliguntur. Sculptor, cetera diligentiſſimus, negligentius capillitium tractauit, nec naturam ſubtiliſſime expreſſit. Ne nodorum quidem rationem clare ſatis exhibuit. Inſcitiae tamen nolim id; ſed praeſtantiae cuidam, minora contemnentis ſenſui, tribuere. Cum enim reliqua omnia praeclariſſime ſe reddidiſſe perſuaſum haberet, hoc ſiue paruum putans, ſiue non animadvertens, inſuper habuit. Hinc pro ſimulacri antiquitate duci fortaſſe argumenti aliquid poteſt. Praeſtantiſſimi ſcilicet aurei artium ſeculi ſculptores haec talia non curarunt, expreſſiſſe naturam in majoribus corporis humani partibus contenti. Sequioribus demum ad minora progreſſa eſſe induſtria, majoribus ſenſim poſthabitis, videtur.

Habitus oris delicati neſcio quid, et politi ſpirat. Non enim cujusuis e vulgo, aut durius habitae ea eſt forma; ſed qualem delicatiſſimae, ex delicatiſſimis procreant. Mentum verſus ſenſim facies decreſcit, cui arguti neſcio quid, et ſubtilis ingenii ineſt. Veram Graecam hanc faciei formam nullibi equidem in antiquorum capitum delineationibus expreſſam vidi, adeo recentioris aeui hominibus conſuetudo, ſeu oculorum ſenſum, ſiue manuum ductum corrumpit.

Aures accurate ad naturam effictae non ſunt, eodem qui in capillis obtinuit conſilio. In ore autem elaborando ſumma ac paene diuina ingenii vis elucet. Paruum id et vere rotundum, adeoque dulce ridens, vt Gratiae ipſae plus ei addere gratiae non poſſent. Petulantiae aut laſciuiae in riſu nihil; innocentiam meram, diuinamque quandam voluptatem ſpirat. Maligni aliquid, et procacis ineſſe riſui Veneris Mediceae videtur, eaque adeo ex vultu amicarum efformata. Pudorem noſtra puellae ingenuae exhibet.

Caput in laeuam partem paululum inclinatum, oculique eo verſus ducti, venientem eam aliquem inde animaduertere, ſatis indicant.

indicant. Quamquam rima auulsum fuisse caput prodat; ab antiquo tamen quin sit artifice elaboratum, dubitari non potest.

Eadem vtrumque brachium fati crudelitas fregit. Quorum quidem dextrum sub ipso humero; sinistrum vero sub cubitum resartum est. Manibus ambabus concham sat magnam, tegendo corpori medio, tenet. Concham et brachia recentioris esse operis, color marmoris satis prodit. Alia argumenta, mox, perlustrata tota figura, proferemus.

Vestis ex humeris delapsa dimidium corpus nudat. In quo exprimendo, carnibusque molliſſimis simul et musculis non turgidis nec exsuccis vestiendo; totamque muliebrem gratiam ob oculos sistendo, quid efficere humana posset industria, experiri voluisse sculptor videtur. Mammae contractiores et duriusculae, necdum prorsus maturae, vna cum reliquo corporis habitu, juvenilem aetatem, pubertatique proximam produnt.

Delapsam plicis gratiſſimis vestem, crus laeuum, paullum adductum sustinet. Signum id pudoris, nolentis omnia patere, venientemque aliquem ab ea parte timentis indicium est. Formam vestis fere eandem in Dea eadem in Museo Florentino videre est. (*)

Jam quid sibi in hoc simulacro voluerit sculptor, dispiciendum est. Concha, quam tenet manibus ἀναδυομένην sistere Venerem videtur; est enim ea, qua vectam esse tradiderunt Veteres, ex eodem hoc genere. (**) Quodsi a vetere ea sculptore esset, aut reliqua emergenti e mari Veneri essent accommo-

(*) Mus. Flor. Tom. III. tab. 30.
(**) Montfaucon Antiq. Expl. T. I. pl. 101. n. 6. pl. 99. n. 5.

modàta: plana forent omnia. Sed plurima hic occurrunt explanatu difficillima; quae ſigillatim exputanda.

E mari emergens, nuda eſſe Venus debet; modo enim progenitae, nullique adhuc terrae allatae, vndenam veſtis? Abſonum ridiculumque omnino, ἀναδυομένη amicta. Id ipſum probe intelligentes antiqui nudam eam ſemper exhibent. (*)

At in Muſeo tamen Florentino Venus non nuda quidem; ſed veſte prope ſepoſita, concham manu tenet? (**) Nihil hoc ad me, nam additam eam manum, vna cum vrna cui imponitur veſtis, ab artifice recentiori docet ibidem Gorius.

Montefalconius tamen, referente non nemine (***) Venerem concham manu geſtantem exhibuit! Manifeſte id vero falſum eſt, loco enim ibi laudato (****) nihil tale. Alio quidem ad pedes ſtantis Deae jacent conchae (*****); ſed ne id quidem contra me; quod enim conchae ibi ſpeciem habet, id calceos reuera eſſe, Montefalconius diſerte affirmat. Alius praeter hos, vbi conchae appareant, mihi quidem in Montefalconio locus occurrit nullus.

In theſauro tamen Brandeburgico Venerem concham manu geſtantem exhibuit Begerus. (******) Eſſe praeter eam et alias mihi tamen his libris carenti non viſas, docet, Vir in omnis antiquitatis ſtudio ſummus, C. G. Heyne. Idem tamen conchas omnes nouitatis ſuſpectas habet. (*******)

De

(*) Montfaucon Ant. Expl. T. 1. l. c.
(**) Muſeum Florentin. Tom. III. tab. 35.
(***) Hederich Lexicon Mythol. art. Venus.
(****) Montfaucon Antiq Expl. Tom. I. planche 104.
(*****) Montfaucon Antiq. Expl. Suppl. Tom. I. planche 46. n. 2.
(******) Theſ. Brandeb. Tom. III. p. 269.
(*******) Heyne, Sammlung antiquariſcher Aufſätze Erſtes Stück, Seite 144. 145. Anmerkung i.

De Begeriana quid ſtatuam, cum illa ſit aerea, nihilque ibi de reſtauratione adjectum ſit? Non eſſe ἀναδυομένην breuitas conchae ſatis demonſtrat. Ad originem marinam ejusmodi forte inuentum ſequioribus ſeculis adhibitum eſt; deformatio enim rude aliquod ſeculum ſapit. Quicquid ſit, Begeriana nuda eſt, adeoque noſtrae ſententiae non repugnat, caeterae ſi forte nudae non fuerint; ob reſtaurationis ſuſpicionem objici nobis non poſſunt. Falſum itaque omnino eſt, quod affirmat a Gorio laudatus Albricius (rectius Albricus Gentilis) ſolere Venerem dextra concham tenentem pingi. Immo non ſolet, cum vnicum tantum ejus rei apud Begerum, cui niti aliquis ſatis poſſit, mihi exemplum obuiam ſit factum.

Hinc, ni fallor, patet, Venerem e mari prodeuntem ſemper nudam a Veteribus, prout res ipſa poſtulat, exhiberi. Eſſe itaque ἀναδυομένην noſtra nullo modo poteſt.

Quorſum igitur concha? Ad declarandam ejus e mari originem. Ferrem ſi parua, ſi alteri manui inſerta; ſi ad pedes, aut alio commodo loco poſita eſſet. Nunc manibus ambabus ſollicite eam ad occultandas quasdam corporis partes praetendit. Subito eam, et improuiſo deprehenſa arripuit; num igitur ſemper ſecum concham circumfert?

Concham recentioris aeui dixi, addere nunc, praeter rem ei traditam, licet; cum nec noſtra ſit ἀναδυομένη, nec aliter cognominatae Veneri concha hoc modo geſtata conueniat.

Qua ſublata, ex reliquis ſimulacri attributis quid ſibi in eo fingendo voluerit ſtatuarius, inueſtigandum eſt.

Veſtis a crure ne delabatur prorſus, ſuſtentata, inuitam eſſe nudam, improuiſamque ita deprehenſam Deam prodit. De balneo igitur non poſſumus non cogitare, idque eo magis, quo

frequentius balneo vtentis habitus occurrit. (*) Ingenioſum id profecto ſculptorum inuentum eſt, qui, ne omnem diuae pudorem denegarent, nec nudi tamen corporis venuſtatem oculis ſubtraherent, inuitam in balneo Deam deprehendi finxerunt.

Quo admiſſo, rurſus, lautam jam, an nondum lautam eſſe voluerit ſculptor quaeritur? Ad intelligendam enim totius ſimulacri rationem id maxime facit.

Nondum lauaſſe, conjici ex veſte modo delapſa poſſet, ejus enim qui in eo eſt vt veſtem deponat is eſſe habitus videtur. Sed ſunt plurima, eaque haud parui momenti, quae repugnant. Similis fere veſtimenti ratio exſtat vt ſupra monuimus, in Muſeo Florentino. Dextra ibi capiti neſcio quid ornamenti aptat, capilli compoſiti jam et diademate ornati ſunt. Lauta igitur jam, in eo eſt vt comatur. Quodſi ſolueret crinem, in demendo diademate eſſet, quippe quo manente reliqua ſolui vix poſſunt.

Luculentius id ex figura quadam apud Montefalconium patet. (**) Veſtis ibi eadem fere ratione pendet; dextra veſtem tenet, ſiniſtra capillum formal. An imago reſpondeat ſimulacro, dubito, fingendo enim capillo ſiniſtra parum idonea.

Crinem non ſolui ex ipſa delineatione apparet, rejiciendus enim eſſet, cum in partem anteriorem propendeat, curioſeque collectus ſit.

Jam vero cur ad fingendum capillum rejicitur veſtis? Cur Veteres ſuperiorem corporis partem, nudam hoc agentium exhibuere? Neceſſe id omnino, pro ratione veſtium fuit. Pallium

(* Heyne, Sammlung antiquariſcher Aufſätze, S. 144. u. f.
(**) Montfaucon Antiq. Expl. Suppl. Tom. I. planche 46. n. 5.

lium quippe fibulis adstringitur nullis, brachiaque simul, quo minus capillo fingendo libere possint adhiberi impedit. Peccassent sane sculptores, si quod tectum esse posset, pro solo lubitu, nudum finxissent.

Hinc, ni fallor, efficitur, Venerem nostram lauisse jam, nondumque plane comptam subito deprehendi. Quid igitur sumto balneo supersit exquirendum.

Capillus plane jam formatus, de eo cogitare amplius non finit. Restat vnctio, quam successisse lotioni constat. Sunt tamen et hic, quae videntur, quo minus vngi Deam statuere possimus, obstare. Qui enim vngi aliquis vestibus jam sumtis, potest?

Difficile sane dictu; nec restat tamen praeter hoc aliud. Aliqua tamen et hunc nodum ratione soluere, licet. Notum quippe est, veteres varii generis vnguenta, diuersis corporis partibus affudisse. Suo igitur pedes jam perfusi sunt vnguento, restatque sola superior pars vnguenda. Eam igitur vt imbuat, vestem nondum humeris Dea circumdedit.

Subtilia, fateor, haec sunt, et extra viam antiquariorum tritam sita; non superuacanea tamen prorsus et ab omni vtilitate destituta. Recte singula perspecturus, deque omnibus accurate judicaturus, non fastidire haec minuta debet. Praeterea non hujus solum simulacri; sed similium non paucorum hinc ratio intelligitur.

Solae adhuc restant manus, quibus, sublata concha, maxima etiam ex parte brachiis, quid fiet, videndum est. Musculorum, vt et ossium habitus, versus inferiorem corporis partem fuisse antiquitus inclinatas, demonstrat. Ex omni praeterea corporis statu, tegendae huic parti fuisse adhibitas licet colligere. Haud mul-

multum igitur, credo, aberrabimus a vero, si habuisse aliquid diuam prae manibus, quod corpori praetenderet, statuerimus.

De vestibus cogitare eo minus licet, quo magis integrae eae, nullaque parte aut laesae aut restauratae sunt. Vas aliquod balnearium id fuisse vero haud dissimile est; nihil quippe demto hoc, quod haberet prae manibus, relinquitur.

At praegrandes sunt, quae solent ab Antiquariis deformari, vrnae in balneis adhibitae! (*) Sed sunt et minores; ex eo praecipue genere, quibus vnguenta seruabantur; quarum exempla passim exstant.

Cum vngentem igitur Deam hic exhiberi supra dixerim; vas aliquod vnguentarium, eam tenuisse manibus, conjicio. Nec sine aliqua tamen formidine, propter insolitam hujus rei formam. Quodsi enim vel vnicum ejus exstaret exemplum, fidenter liceret pronuntiare. Esse quidem ejusmodi simulacra docet V. Cl. Heyne; sed a recentioribus hunc in modum restaurata. (**) Solatio tamen aliquo est id, quod pauciſſimas rerum antiquarum deformationes temporis nobis injuria reliqua fecit.

Est et aliud, quod eo ducit. In medio corpore, qua incipit vestis, aliquantulum marmoris prominet, idque ipsum ab antiquo artifice sculptum ita est. Nulli id aliae rei quam sustentando vasi alicui potuit esse destinatum. Vestem enim non attingit, nec ad concham quoque pertinet, quippe aptissime illi a recentiori sculptore applicatam. Hoc si expedire alio quodam modo possem: aliam potius sententiam amplecterer. Dextram scilicet continere vestem; sinistram vero tegendo pectori adhiberi affirmarem.

Re

(*) Museum Florentin. Tom. III. tab. 34. 35.
(**) Heyne, Sammlung antiquarischer Aufsätze, St. I. S. 145. 154.

Re satis, vt videtur, dilucidata, de nomine quaeramus. Si Gorio fides; coelestis nostra est; quam enim Florentiae similem nostrae existere diximus; eam is coelestam appellat. Eam praecipue ob causam, quod superiori corporis parte nuda, inferiori velata sit. Veterum tamen hujus asserti testem laudat neminem, nec laudare facile possit. Qui de coelesti Venere loquuntur, eorum nemo hac eam fuisse forma asserit. Non vna profecto ejus fuit figura, vt nec vna denominationis causa. Inter eas tamen, quas passim Pausanias commemorat, quae huic congruat, nulla est. Hac igitur ex parte, denominatio isthaec omni destituitur argumento.

Videor tamen mihi, quid in errorem induxerit Gorium intelligere. Omnem nimirum, aut coelestem esse aut παυδήμου Venerem sibi persuaserat. Jam cum παυδήμος non sit illa, vtpote quae amicta, quod contra popularis Veneris naturam: coelestem esse collegit. Multa vero sunt, quae quo minus haec procedat conclusio impediant. Fabularum nempe, et cognominum diuinorum auctores, in genera Deos et species, secundum artis ratiocinandi praecepta, dispertiri noluerunt. Platonis quidem, duas quasi Veneris species facientis auctoritas, hac in re leuissima est. Philosophica is ratione, non autem ex opinione vulgi de Diis differit.

His remotis, nihil equidem quod tribui ei cum aliqua idonea ratione posset cognominis, mihi innotuisse lubens fateor. Parum omnino haec antiquitatum pars ab eruditis Viris expolita est. Liquida primo intuitu, si recentiores solos inspexeris, omnia esse videntur; at vbi ad fontes ipsos peruenieris, vanisma ea majorem partem, dubia magnam, certa minimam, reperies. Conjecturis saepe leuissimis ducti imaginibus cognomina tribuunt, vnde et inter se et a seipsis dissident, nec cum veterum scriptorum auctoritatibus consentiunt. Possunt tamen haud pauca certius declarari, etsi longe plurima in incerto esse

relinquenda fatendum sit. Est hoc omnium scientiarum ineluctabile fatum, vt a conjecturis vanissimis, ad domonstrationes accuratiores progrediantur; quod ipsum quin et huic antiquitatis scientiae sit euenturum, non est dubitandum.

* * *
* * *
*

Transeo jam ad id cujus gratia hanc disputationem ingressus sum. Celebraturi sumus diem Clementissimi, Serenissimique Principis nostri FRIDERICI III. nomini sacrum. Qui dies, Martii quintus, eo magis Collegio illustri Carolino sacer est, quod bene merentibus, diligentiamque et ingenium examine publico probantibus nostris ciuibus, praemia maximi moduli nummorum argenteorum, distribui Clementissimus simul et litterarum fautor Summus Princeps Hassorum, iussit.

Quam EJUS Clementiam fructu non caruisse, orationibus habendis, ciuium nostrorum duo, conabuntur declarare.

GIDEON scilicet FRANKE, Hasso-Cassellanus, de Romanorum genio recitabit orationem eam, quam morbo implicitus priori semestri, habere non potuit.

HENRICUS porro BEKKER, Cassellanus itidem, de Augusti praecipuis in rem litterariam meritis verba faciet.

Liceat

Liceat nobis, qua par eſt veneratione, Sereniſſimum noſtrum Principem rogare, vt ſplendidiſſimum nobis pro ſua in litteras indulgentia Legatum ad majorem hujus diei ſplendorem deſignet. Liceat etiam Curatorem Collegii illuſtris Carolini, Principique in gubernanda Republica a ſecretis, liberum Baronem de SCHLIEFFEN, vt praeſens diei augere celebritatem velit orare.

Multos praeterea Carolini Collegii fautores, ad ſpectanda juuenum certamina conuenturos ſperamus.

Caſſellis a. d. XXVIII. Februarii.

L.S.